



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 1. Quid sit Parochia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922



P A R S I.

De Parochijs & Parochialibus
Ecclesijs, earumque Ereptione, Consecratione, Reconciliatione, Immunitate,
alijsq; Juribus.

C A P U T I.

Quid sit Parochia?

S U M M A R I A.

1. *Quid sit Parocchia & Paracia.*
2. *Ut ab Episcopis fiat certa Parochiarum designatio Concil. Trident. mandat.*
3. *Quae sint jura parochialia.*
4. *Si constet Ecclesiam esse parochialem fundatam habet intentionem in jure.*
5. *Ad probandam parochiam quatuor conjunctim requiruntur.*
6. *Parochiae Monasterijs incorporate, licet per Vicarios provideantur, retinent tamen omnia jura parochialia.*
7. *Non est idem beneficium curatum & Ecclesia parochialis.*
8. *Quaedam beneficia sunt actu curata, quaedam tantum habitu.*

1 **P**AROCCHIA dicitur locus in quo degit populus alicui Ecclesiae (quae propterea parochialis vocatur) deputatus, certis finibus limitatus, *Tusc. l. p. Concl. 94. n. I.* unde & frequenter in jure Parochia Parœcia appellatur, quod græcè idem sonat, ac Conventus seu habitatio accolarum.

2 Est autem Parochiarum designatio facta ad curam animarum in populo commodius exercendam, prout etiam novissimè mandat *Concil. Trid. S. 24. de ref. c. 13.* ut in ijs civitatibus & locis ubi parochiales Ecclesiae certos non habent fines, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrentur, Episcopi pro tutiori animarum salute distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum & proprium parochum assignent, à quo solo licitè Sacramenta percipiantur, &c.

3 Porro ad Ecclesias parochiales pertinet Jurisdictionem in foro pœnitentialem exercere, Sacramenta administrare, matrimonia solemnizare, Eucharistiam asservare, fontem baptismalem cœmeterium & jus sepeliendi defunctos habere, & ut demùm ejus Rectori jus sit decimas oblationesque percipere, teste *Innoc. & Panorm. ad rubric. tit. Decret. de Parochijs.* Licet verò ex singulis his enarratis juribus non præcisè probetur nec ex eorum defectu semper reprobetur Ecclesia esse parochialis, cum similia possint etiam alijs Ecclesijs ex privile-

QUID SIT PAROCHIA.

privilegio vel consuetudine aut prescriptione
competere, † quando tamen constat Ecclesiam
esse parochialem, tunc quoad omnia ista jura
habet fundatam intentionem, ut si desuper
cum alia Ecclesia lis oriatur, non Ecclesie par-
parochiali, sed alteri onus probandi incumbat.

At tamen de hoc ipso nonnunquam disce-
ptatur, quibus argumentis Ecclesia proprie
parochialis esse convincatur? Quatuor requi-
sita conjunctim justificanda esse ad proban-
dam parochiam ex dictis aliorum DD. & Ro-
mæ Decis. colligit Barb. de Parocho p. 1. c. 1. n. 27.
Primum est, inquit, potestas fori pœnitentia-
lis. Secundum locus certis finibus limitatus,
in quo populus alicui Ecclesie deputatus de-
git. Tertium ut Parochus curam exerceat
nomine proprio. Quartum, ut sacerdos
tanquam rector singulariter & non cum alijs
ad regimen parochialis Ecclesie admittatur.

Verum circa hæc duo ultima requisita ad-
vertendum est, quod ea non Ecclesiam sed
personam respiciant, id est, probanda sint ad
eum solummodo effectum, si quis contendat
se esse verum & proprium parochum loci. De
cetero ipsa Ecclesia ex primis duobus requisi-
tis satis probatur esse parochialis, frequens e-
nim est, quod Parochie soleant Monasterijs,
Capitulis, Collegijs aliisque beneficijs uniti
& incorporari, in quibus Sacerdos curam non
proprio sed vicario nomine nec solus sed cum
alijs exercet. Interim ipsa Ecclesia retinet

omnia parochialia jura, & si desuper sive à Vicario, populo, Episcopo vel extraneo lis moveatur, Monasterium vel capitulum, cui incorporata est, fundatam intentionem habebit. *Rota apud Tambur. de jure Abbat. tom. 3. decis. 102.*

7 Demùm advertendum est, non semper esse idem beneficium curatum & Ecclesiam parochialem. Nam Ecclesia sive beneficium curatum generalius quid est, continens sub se plures species, & quamvis Parochia sine cura non sit, potest tamen cura sine parochia esse, ut in Ecclesijs, quæ filiales appellantur, in locis noviter ad fidem conversis vel ad habitandum accomodatis, in quibus necdum limites parochiales per Episcopum assignati sunt.

Alia quoque beneficia sunt curata non parochialia, quæ curam tantùm fori externi habent sive potestatem & jurisdictionem visitandi, excommunicandi, absolvendi, corrigendi, judicandi &c. Et hæc cura largè & impropriè cura dicitur teste Barb. *de paroch. p. 1. c. 1. n. 47.* Cura autem propriè accepta est cura fori pœnitentialis & Sacramentorum administratio. Interim, quoad incompatibilitatem, & residentia obligationem, non est inter utriusque curæ beneficia diversitas. *Trid. s. 6. c. 1. s. 7. c. 4. s. 23. c. 1*

8 Sed & beneficia curata, quædam sunt actu curata in quibus de facto exercetur cura, quædam autem habitu tantùm curata, quibus nimirum

mirum ex prima institutione cura annexa fuit, sed ea postea per unionem, privilegium, consuetudinem aliumve casum sublata fuit: & hæc beneficia habitu solum curata adinstar simplicium beneficiorum habentur, nec cadunt sub dispositionem juris de curatis beneficijs loquentem. verb. gr. quoad incompatibilitatem, residentiam &c. *Barb. d. l. n. 50.*

CAPUT II.

De Ædificatione & Reparatione Ecclesiarum parochialium.

SUMMARIUM.

1. *Episcopalis muneris est Ecclesiam parochialem, ejus fines & populum designare.*
2. *Quando & qualiter nova parochia erigenda.*
3. *Erectio novæ capelle est remedium, ne nova parochia erigenda sit.*
4. *Licium est locorum ordinarijs ob causas rationabiles duas parochias in unam conjungere.*
5. *Ne Ecclesia in præjudicium parochialis Ecclesie edificetur, cura Episcopi incumbit.*
6. *An Episcopus licentiam concedere valeat privata Oratoria construendi?*
7. *Quæ ceremonia & forma in edificandis Ecclesiis servanda.*
8. *Quomodo Ecclesie parochiales ruinosa reparanda.*